



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 1. Quid & quotuplex est?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

exteriùs ac si non esset absolutus; potestque conveniri coram iudice, & ab eo cogi ad subeundam omnem pœnam Censuræ annexam: quia absolutio data tantùm pro foro conscientiæ non habet effectum nisi coram Deo.

10. Invalida est absolutio per vim vel metum injustum extorta etiam à tertio, imò extorquens contrahit excommunicationem, c. unico 1. de iis quæ vi, &c. in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. Item nulla est, si extorta sit per dolum versantem circa causam finalem; quia Superior non vult absolvere, nisi ob causam sibi propositam: quæ tunc non subsistit, nec proinde subest voluntas absolvendi: nam sublato motivo seu objecto formali volitionis non est volitio.

## CAPUT II.

### *De Excommunicatione.*

Q. 1. Quid & quotuplex est?

Resp. Excommunicatio est Censura, per quam baptizatus privatur Communione Ecclesiæ, seu bonis quæ sunt communia inter fideles, quæque pendent à potestate & dispensatione Ecclesiæ, ut sunt Sacramentorum receptio & administratio, Ecclesiæ Suffragia, divina Officia, &c. duplex est major, & minor.

Excommunicatio major, (quæ sola venit nomine excommunicationis simpliciter, c. 59. de sent. excom.) est Censura, quâ quis privatur  
omni-

omnibus bonis communibus Ecclesiae & ejus dispensationi subiectis, & abscinditur à corpore Ecclesiae juxta illud, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.*

Excommunicatio minor est ea, quae privat ex parte, seu aliquibus tantum bonis communibus Ecclesiae, nempe receptione & administratione licitâ Sacramentorum, & passivâ electione ad dignitates ac Beneficia. Hæc contrahitur solum ob communicationem culpabilem, etiam in civilibus, cum excommunicatio non tolerato, c. 3. *de sent. excom. in 6.* ex Conc. Gener. Lugdun. & Sanchez, dicit omnes sentire eam ob peccatum veniale contrahi. Qui tamen cum eo communicavit in crimine criminoso, idest, ob quod contracta est Censura, consilium, auxilium vel favorem impendendo, incurrit excommunicationem majorem, *cum facientem & consentientem par poena constringat, c. 29. de sent. excom.* A minore excommunicatione absolvere potest, quicumque potest à mortali culpa, cum non sit reservata, ex eod. cap.

*Q. 2. Quinam sunt Excommunicati vitandi?*

*Resp.* Olim omnes erant vitandi. Sed jam ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda.* à Conc. Constantiensi, teste S. Antonio approbata, & jam pridem ubique observata, atque ex usu præsentis Ecclesiae, ii solum sunt vitandi, qui per sententiam Judicis Ecclesiastici nominatim declarati sunt excommunicati, & publice